



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Sibyllina V. 19. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

19. MART. *Vita Sanctorum.* 167.

habebis. Exul Nicomediam abduceris. Gaude vel sic aulâ exiisse. Securi feriunt; sanguini innatas. O factum bene! hanc demum purpuram altera, ad quam tendis, Aula probat. *Ex Menais.*

S. SIBYLLINA V. 19. Martii.

NATA SIBYLLINA Papiæ in Biscofsâ nobili familiâ D. Dominici tertium Ordinem nobilitavit. A teneris scelus ingens credidit esse, quem sibi horarum Canonicarum vicem numerum precum præfixerat, vel semel omittere. Loco solo cum se inclusisset, non nisi semel ad Virginem velatam, semel epulo Eucharistico reficienda sponso obviam processit. Gaudiis tunc inundabat, cum sanguini, quem ipsa flagris septem annis quotidie fundebat. Pudorem unicâ veste & contra æstum, & frigora tegebat. Nudo indormiebat ligno, suavissimo castitati thalamo. Annum XII. egressa, cum oculos corporis amisisset, animi invenit, & D. Dominicum manifestâ in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis delibuta, ut jam nollet non fuisse cæca. Et verò quis unquam plura vel Argus vidit, quando longè post futura vidit, prædixit; conscios lethalis noxæ animos inspexit; è ligno, quo Christus pependit, reliquias, cordis tactu veras esse pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut quo Christus sub panis orbe, quo

L 3 non

non lateret, perspiceret. Sed illa oculis carenti jucundissima spectacula fuere: videre non semel festo Pentecostes die sacrum Pneuma supra caput suum descendere. Denique cum precabunda beatissimum illum pusionem IESVM, illum illum solem potuit intueri, an non oculos habuisse jam probos putemus? Enimvero si oculis tunc non vidit, at certe charius aliquid oculis vidit.
Ex tom. 14. Bzovii.

S. IOACHIMVS PATER B. M. V.
 20. Martii.

IOACHIMVS è regiâ Davidis stirpe Iassem suam trifariam divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiae voluit reliquam, testamento, quod vel cælum probavit. Nam cum in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probrio id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab arâ tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA renatus orbis est. Et pensavit profectò partus tam serus, quidquid morarum traxerat. Potuit ignosci tempori tam magna parturienti: potuit IOACHIMVS hâc unâ filiâ beatus ridere